COLAI

PERA.

TUS II.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. de Multipraesentia Rei finitae.
2. Tr. de Contradictionis Natura et Principio.
3. Tr. de Oppositione Enunciatorum.
4. Pansophia liberalis Tabellis repraesentata.
5. Disquisitio Magnetica.
6. Tr. de Notitiis naturalibus.
7. Tr. de Cognitione humana universa, duabus Exercitationibus comprehensa.

D. O. M. A.

DE

MULTIPRÆSENTIA REI FINITÆ,

Inprimis Corporis,

TRACTATUS SINGULARIS:

Philosophico-Theologicus,

Ubi inprimis rei *quoad* DEUM ejusque potestatem possibilitas ex certis argumentis ac hypothesibus, tàm communibus, quàm singularibus, ostenditur, Quæ *obstare* videntur, plenè dissolvuntur, *de Exemplo* Corporis Christi distinctè ex Sacris constituitur, *Modi* sobriè & Theologicè de eo loquendi subministrantur, Cœteraque ad rem facientia breviter ac distinctè subjunguntur.

Adjecta ad Calcem *Epitome Tractatus de esse Alicubi & Multipræsentiâ*, per theses adumbrata.

AUTHORE

HENRICO NICOLAI,

Phil. & Theologo, Ap. Gedanenses Professore.

DANTISCI, Typis GEORGII RHETII, Anno M. DC. XLIII.

BENEVOLO LECTORI S.

AD finem deducto hoc de Multipræsentiâ finiti *Tractatu*, Lector benevole, *allata ad me occasione Adversarij cujusdam bina argumenta sunt, Multipræsentiæ Corporis obversa, & solutio expetita. Si celeriùs ea vidissem, in ipso Tractatu locum & solutiones accepissent. Nunc, finito tractatu, cum, ut solvantur, omittendum non sit, & in ipso Tractatus Corpore locum non capiant, hic solutionem eorum subjunxisse visum fuit.* Argumenta *ipsa sic habent.*

I. Omne Corpus, quod uno tempore per locum numero distinctum ab aliquo corpore remotum est, id ipsum numero quoq; ab eodem corpore differt. *Om. Corpus, quod est Romæ, â Corpore, quod eodem tempore Parisiis est, uno tempore per locum numero distinctum remotum est. E. om. corpus, quod est Romæ, â Corpore, quod eodem tempore Parisiis est, numero quoq; differt.*

Major *ita naturalis & manifesta est, ut nullâ instantiâ infringi possit.* Minor *quoq; non minoris est evidentiæ, nec ab illis, qui multipræsentiam defendunt, negatur.*

II. *Hinc porrò ita concludo.* Omne, quod numero distinguitur, non est unum numero cum eo, â quo numero differt. *Om. corpus, quod est Romæ, â corpore, quod eodem tempore est Parisiis, numero distinguitur.* E. *om. corpus, quod est Romæ, non est unum numero cum corpore, quod eodem tempore est Parisiis.* Major *sine contradictionis implicatione negari non potest.* Minor *est præcedentis Syllogismi conclusio, quâ stante* cadit jam Multipræsentia, *Unius scilic. numero corporis in locis numero distinctis uno tempore præsentia.*

Resp. ad priorem Syllog. 1. Major *si sic sumatur, Corpus per locum distinctum ab aliquo Corpore,* alio scilicet & diverso *â seipso, remotum, numero ab eodem differt, conceditur,* & uterque Syllogismus *conceditur, nihil enim contra Nos concludit. Sequitur enim,* E. *corpus Romæ, â corpore alio & diverso, quod Parisiis est, numero differt, & sic non est unum numero cum eo. Quod certum. Sed* E. *unum numero Corpus non potest simùl divinitùs Romæ & Parisiis sisti, non indè sequitur. Quare* 2. Distinctiùs ad Majorem Resp. Eam in verbis, ab aliquo Corpore remo-

remotum esse, ambiguam esse. *Vel enim* de illo ipso Corpore, *quod multipræsens statui dicitur, intelliguntur*, vel de alio aliquo extra illud, & ab eo diverso. Si priore modo, tùm Major, *si directè nobis opponi debeat, hoc sensu capienda erit: Omne corpus, quod uno tempore per locum numero distinctum, divinitùs in eo conciliatum, ab aliquo corpore, proprio nempe & seipso, remotum est, id numero* quoque ab eodem, â seipso nempe, differt. *Nisi enim hoc sensu sumatur, Nobis non adversatur, Vt* antè *patuit.* Sic concedimus majorem: Sed negamus minorem. *Non enim corpus multipræsens per locum numero ab aliquo corpore*, seipso nempe & proprio, *remotum est, sed unum numero, & quod Romæ, & quod Parisiis ex nostrâ hypothesi est, diversas tantùm ubicationes in isto uno numero divinitùs sortitum est*, t. 53. 54. 61. 64. *Sic anima in capite per ubi numero distinctum â pedibus remota est. Est enim alia præsentia, quà in capite, & alia, quà in pedibus est*, t. 64. E. *& ab ipsis pedibus numero differt. Verum. Sed*, E. *&* à seipsâ & proprio suo esse *indè numero differt; Hoc inde non sequitur. Vnica enim numero est, quæ & simùl in capite & pedibus per diversas ubicationes est, & una manet, ut potiores* Philosophi *consentiunt*, t. 34. 64. *Sed ubicationes ejus in capite & pedibus numero differunt, & extremè distant. Vnde breviter Syllo-*

gismus ita formandus est: O. Corpus per locum numero distinctum â seipso remotum, etiam â seipso differt. *Sed Corpus Romæ & Parisiis p. l. n. d.* â seipso *remotum est.* Negamus, *sed tantùm in locis & urbibus â seipsis remotis & distantibus est.* V. c. l. Si posteriore sensu Major *capiatur hoc modo: Corpus, quod per locum num. dist: ab aliquo corpore,* alio scil. & extra sese, *remotum est, id quoq; numero ab isto Corpore, alio extra se, differt, sic* uterque Syllogismus *conceditur, & nihil contra Nos habet.* In primo *sequitur:* E. *corpus, quod Romæ, ab alio corpore, quod Parisiis eodem tempore est, numero differt.* In secundo: E. *corpus, quod Romæ, non est idem numero cum alio scil. & diverso â seipso, quod eodem tempore Parisiis est. Vtrumq; conceditur, ut antè dictum.*

Ad posteriorem Syllogismum Resp. ad Minorem: *Om. Corpus, q. e. Romæ, â corpore* alio scil. ac diverso, *quàm ipsum Corpus, quod Romæ est, numero distinguitur. Verum.* E. *non est unum numero cum eo, sc. cum alio & â se diverso.* Conceditur. *Nec enim hoc affirmamus.* Si autem Minor sic capiatur: *Om. Corpus, quod est Romæ, â seipso simùl divinitùs Parisiis collocato, numero distinguitur, sic* negatur Minor ex *antè dictis. Non ita numero distinguitur, sed illud idem est, quod simùl Romæ & Parisiis per diversas ubicationes statui dicitur.* Probatio *ejus inconsequens est, ut*

antè

antè dictum. Pluribus tota hæc res ex d. 3. & 4. d. Multipræſ. *patere poteſt.*

Auctarium.

Ad t. 29. *& allegata* Photinianorum *ibi adducta adde*, Crellium c. Grotium c. 10. n. 57. *Vbi potentiam DEI infinitam eſſe fatetur*, Et n. 56. *Vbi Chriſtum DEO altiſſimo poteſtate æqualem eſſe concedit. Chriſtum autem quà naturam meram creaturam ipſi habent. Meram a. Naturâ ſui Creaturam*, poteſtate DEO infinito æqualem fieri, & poteſtatem DEI altiſſimi, h. e. infinitam, ſortiri, *gravius incommodum & incredibilius eſt, quàm unum Corpus divinâ poteſtate* ad duo loca ſimùl adduci. *Duo loca n. adhuc finita, & adductio ad ea* ad rem finitam *eſt: Sed evectio ad poteſtatem Dei altiſſimi* ad rem infinitam *eſt, eoq́ incredibilior, quàm illa, ut ipſi* Photiniani, *ſi rectè æſtiment, concedent.*

Elenchus Exercitationum Tractatus hujus.